

Explicatio Tabulae IV.

- a. *Campanula crassifolia* magnitudine naturali.
- b. Calix cum staminibus et pistillo magnitudine naturali.
- c. Stamina, seorsim picta, magnitudine naturali.
- d. Stamen singulum, magnitudine aucta.

VERNONIA Schreb.

Syngenesia Polygamia aequalis Lin. — Ord. nat. *Synanthereae*. Trib.
Vernonieae.

Ch. ess. Periclinium ovatum, imbricatum. Receptaculum nudum. Stigma bifidum, breviusculum. Pappus duplex; exterior e paleis abbreviatis formatus; interior capillaris.

Sect. III Cass. *Lepidoploa*: squamis periclinii apice muticis.

Vernonia (Lepidoploa) tomentosa.

V. frutescens, foliis oblongo-lanceolatis integerrimis utrinque villosa-tomentosis, pedunculis brevibus corymbosis, floribus sessilibus.

Habitat in India orientali. Floret Martio mense. Frutex. Semina misit clariss. *Hooker*.

Descr. Caulis virgatus, simplicissimus, basi lignescens, quinquepedalis et altior, inferne cortice cinereo-fusco, superne pallide virescenti villosa-tomentoso indutus, versus apicem foliosus. Folia breviter petiolata, alterna, divaricata, oblongo-lanceolata, acuminata, margine integerrima, tres uncias circiter longa, unciam unam vel sesquiuncias lata, supra flavo-viridia subtus albedo-cinerea et nervis venisque prominentibus reticulata, utrinque mollissime tomentoso-villosa. Flores ad apicem caulis corymboso-paniculati. Pedunculi ex axillis foliorum superiorum, caeteris multo minorum, prodeuntes, patentes, teretes, unciam vel sesquiuncias longi, apice ut plurimum bifidi et floribus octo-duodecim pallide violaceis sessilibus onusti. Periclinium parvum, cylindricum, e foliolis imbricatis pubescentibus lanceolatis acutis, interioribus longioribus apice coloratis, compositum. Flosculi circiter duodecim in quovis

periclinio. Corollulae glabrae infundibuliformes, limbo quinquepartito, laciniis angustis lanceolato-linearibus patentibus pallide violaceis tubum longitudine aequantibus. Antherae albae. Stylus longe exsertus, violaceus; stigmata recurvata, ad lentem ciliata. Achenia matura obconica, fusciscentia, pilis candidis erectis dense vestita, apice truncata et pappo duplici, exteriori facile deterendo, coronata. Pappus exterior brevissimus, e paleis acutis inaequalibus, interior capillaris, e pilis candidis tubo corollulae longioribus et maturitate deciduis formatus.

Obs. Inter *Vernonias Lepidoploas* Cass., quae omnes Americae calidioris incolae sunt, species nostra *V. arborescenti* quodammodo similis est, sed inflorescentia satis recedit. Inter affines *Conyzas* cum *C. Caroliniensi* comparanda esset nostra, si plantam alius generis huc trahere liceret.

Cultura. Solum, quo laetissime vigeat, isti plantae paullo accuratius parandum est ex humi foliorum partibus tribus, margae terraeve caespitum duabus additaque una parte arenae. Calore caldarii una cum aliis eiusdem patriae fovenda est; neque tamen areae corticis coriariorum ollam immergi opus est, dum aëre gaudeat libero soleque, in repositoio ligneo collocata. Propagationi inserviunt rami pangendi et semina; peractaque sementi, testa, cui semen imponebatur, vaporario committenda. Tum brevi exeunte semine, surculi novelli, cum post aliquot menses invaluere, in alias singuli testas transferuntur.

S.

Explicatio Tabulae V.

- a. *Vernoniae tomentosae* ramus magnitudine naturali.
- b. c. Folia caulina, magnitudine naturali.
- d. Calathidium integrum, magnitudine naturali.
- e. Flosculus singulus, aucta magnitudine.
- f. Squamae periclinii, magnitudine aucta.
- g. Clinanthium cum Achenio singulo, resecto ex altera parte periclinio, magnitudine aucta.